calamitatisq́ eodem confluere cogunt, Vt qui scelerato-
rum fuisset supplicium, eiusdem nunc Dei fieret carni-
ficina; Vt in eo tanquam in orbis terrarum theatro Vni-
versus Mundus aspiciat Lucernam, ac summè defatiga-
tum Dei Filium excipi non blandissimo Patris sinu
sed horrenti crucis ligno; explicantemq́ brachia non
ad chara Parentis amplexum, sed ad luctuosissimam
mortem. Nec patibulo satis expleta rabies, ferro
etiam confixi pedes, et manus pependere. Vos gra-
viusnè patibulum fuerit, an additamentum patibu-
li considerate. Quid commemorem in ardentissima
siti novercale poculum? quid infame consortium, ac
publicam latrocinij fidem? quid Parentis exanimatæ
conspectum? et squalorem? socios à religione delapsos?
convitiorum aculeos, difficiles Viventis ne, an morientis
obitus? et Vitam cum morte luctantem? quam multa
sunt in Vno supplicio supplicia? quot in Vno funere
funera? Quid hic dicam? scelus intolerandum fuit,
non coluisse Mundi Regem, facinus immanissimum
contempsisse, lacerasse maledictis palmare flagitium,
parricidium execrandum caedisse Verberibus: quid
exquisitissimis supplicijs affecisse? quid omnem illius
sanguinem exsorbuisse? quid in crucem in oculis præ-
clarissimæ civitatis extulisse? quid Innocentissimu